



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Vtrum consecratio huius Sacrame[n]ti sit ita propria sacerdoti, utà
nullo alio, etia[m] in casu necessitatis, fieri possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

nem spiritualem animæ contineat. Ecclesia tamen communionem laicorum ad speciem panis, potius quam ad speciem vini determinavit, tum propter minus periculum irreverentiae, tum propter majorem difficultatem habendi & conservandi vinum in regionibus in quibus non nascitur, illudque pro inermis conservandi. Præterquam quod animadvertit aliquos esse à natura abstemios, & à vino abhorrentes, ejusque saporis & odoris impatientes.

81. Quæres, liceatne in aliquo casu calicem sumere laicis?

Respondeo affirmativè, quia reverentia sacramenti, & intentio Ecclesiæ, potest interdum exigere contrarium: ut si verbi gratia periculum sit ne species vini consecrata, ab infidelibus effundantur, & proculcentur; vel si mortuo Sacerdote ante consumptum calicem, nullus alius sit qui consumat, & corruptionis specierum periculum imminet. Addunt aliqui id licere in casu in quo moribundus non posset hostiam deglutire, sed solum sub specie vini communicare. Sed huic sententiæ non assentior, quia cum hoc sacramentum non sit simpliciter necessarium, non obligat nisi cum debitis circumstantiis ab humano præcepto præscriptis, dependenter à quo sæpe divina obligant. Unum tamen casum excipio, in quo scilicet moribundus habens conscientiam mortalis, non posset habere Sacerdotem cui confiteretur, posset tamen habere Diaconum qui sibi sanguinem ministraret; nam cum in eo casu sumptio Eucharistiæ illi esset ad salutem necessaria, per epikeiam & legis interpretationem, communicare posset sub specie vini: sicut articulo præcedenti dicebamus, licere in simili casu Sacerdoti non jejuno celebrare; si nimirum sumpto veneno mortis appropinquaret, & habens conscientiam mortalis, copiam Confessoris non haberet. Vix tamen casus est mortaliter possibilis, nisi tantum in eventum, quo deficiente Sacerdote post sumptionem corporis, maneret sanguis in altari, & non esset Sacerdos qui supplere posset defectum, & moribundus esset proximè expiraturus.

82. Demum potest aliquis sub utraque specie communicare ex privilegio, potest enim Ecclesia super hoc præcepto suo dispensare; ut ipsa dispensavit Clemens VI. cum Rege Christianissimo, Anno 1341. & Paulus III. cum Bohemis, modo non adhæreant hæresi Petri Dresdenfis, & Jacobi Minelli, qui primi in Bohemia Anno 1412. Calixtinorum hæresim seminarunt. Item Papæ solemniter celebrante, Diaconus & Subdiaconus sub utraque specie communicant.

DISPUTATIO X.

De Ministro Eucharistiæ.

Ad quæstiones 80. & 82. D. I. & 80.

Minister Eucharistiæ duplex esse potest: alter conficiens, cujus potestas versatur in materia consecranda: alter tantum dispensans, qui solum distribuit materiam præconsecratam. De utroque in hac disputatione differemus, & utrum hujus sacramenti consecratio & administratio soli Sacerdoti conveniat, breviter resolvemus. Aliæ verò difficultates quas Thomas art. 5. & sequentibus pertractat, in

A scilicet malus Sacerdos, & hæreticus, an debet consecrare, Eucharistiam consecrare potest, in Tractatu de Sacramentis in communi, & de Ministro sacramentorum, disp. 6. expelluntur.

ARTICULUS I.

Utrum consecratio hujus sacramenti sit propria Sacerdoti, ut a nullo alio, etiam in casu necessitatis, fieri possit?

Lutherani existimant, quemlibet Christianum, vi Baptismi, habere potestatem consecrandi Eucharistiam, licet hoc officium nemini sumere debeat nisi legitime vocatus, excepto casu necessitatis: in casu verò necessitatis dicitur quod unusquisque Paterfamilias potest domus suæ panem & vinum consecrare, & corpus & sanguinem suæ exhibere familie. Fundamentum istorum est, quia Scriptura variis in locis docet omnes Christianos esse Sacerdotes: Nam 1. Petri 2. dicitur vos autem genus electum, regale sacerdotium. Et D. Joannes Apocal. 1. Feni inter reges & Sacerdotes Deo & Patri suo. Et cap. 5. Tuus es Deo nostro regnum, & Sacerdos. Unde Tertullianus in exhortatione ad castitatem cap. 7. Sacerdos & Laici Sacerdotes sumus? scriptum est, Regnum & quæ nos, & Sacerdotes Deo & Patri suo faciunt. Reverentiam inter ordinem & plebem constituit sola autoritas, & honor per Ordinis consecrationem attribuitur à Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis non est consecratio, offerens, & tingens, & Sacerdos est tibi solus, sed & omnis Ecclesia, licet Laici: unusquisque enim de sua familia.

Dico tamen, solum Sacerdotem posse hoc sacramentum consecrare. Hæc conclusio elucet de fide: habetur enim in cap. Firmiter de Unitate Trinitatis, his verbis: Hoc sacramentum non potest consecrari, nisi solus Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus. Colligitur etiam ex Tridentino sess. 21. capituli affirmat sacrificium & Sacerdotium De consecratione esse conjuncta, & Christum Apostolicum eorumque in Sacerdotio successoribus, potestatem tradidisse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & pro peccatis dimittendi & retinendi. Idem etiam patet ex forma initiandi Sacerdotes in universa Ecclesia Latina, in qua sic dicitur ab Episcopo accipere potestatem offerendi sacrificium pro vivis defunctis. Quæ verba in nullius alterius ministerio consecratione proferuntur. Demum id constat ratione S. Thomæ hic art. 1. Illi enim soli possunt consecrare corpus Christi quibus ipse Christus hæc potestatem planè supernaturalem concessit: illi qui non concessit eam nisi Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, verbis illis, hoc facite in meam commemorationem. Unde Clemens Romanus lib. 8. Constit. cap. ultimo affirmat Christum solis Apostolis dixisse, Hoc facite, ab illis vero & per illos derivatam fuisse hanc potestatem ad Presbyteros: ideoque lib. 2. cap. 37. ait: Quicumque Laicus sine Sacerdote aliquid operatur, non recte operatur: Ergo, &c.

Favet etiam alii SS. Patres: Chrysostomus in 1. lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. & 5. Sacerdos gradum, supra reliquorum hominum dignitatem, mirum in modum extollit, eo quod habeat potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum, & remittendi peccata. Et Hieronymus in Epistola

folia ad Heliodorum, Sacerdotes super alios clericos specialiter commendat, quod copis Christi sacro ore perficiant, id est verbis sacramentalibus ore suo prolatis. Item valde celebratur praclara illa sententia, quae D. Augustino & S. Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur!* Demum Gaudentius Brixia Episcopus tractat. 2. ad Neophitos, prope finem, haec scribit: *Discipulis fidelibus mendas (Christus) quos primos Ecclesia constituit Sacerdotes, ut indejentes ista vite aeterna mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis Sacerdotibus per singulas rotas orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de caelis adveniat.*

Aburdum est autem quod dicunt Sectarii, nempe omnes Christianos, ratione characteris Baptismi, esse Sacerdotes: licet enim, ut postea dicemus, impropria quadam & ampla significatione, Sacerdotes dicantur, quia debent omnes offerre Deo spirituales hostias honorum operum, proprie tamen Sacerdotes sunt illi soli qui ad hoc ordinati sunt, ut docent Basilus lib. 2. de Baptismo cap. 8. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 10. & Dionysius cap. 5. Eccles. Hierarch. ubi sic habet: *Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.* Et certe, sicut in lege Moysae nulli erant veri Sacerdotes, nisi qui de tribu Levitica fuerant legitime ordinati, juxta illud ad Hebraeos 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* sic Evangelicum Sacerdotium, longe excellentius Aaronico non competit omnibus, sed iis solis qui legitime vocati & ordinati sunt, ritu per Christum instituto. Ac sicut alii, ne quidem in necessitate poterant munus sacrificandi obire: unde 1. Regum 13. reprehenditur Saül, quod fultè egerit, attentans sacrificare in casu necessitatis; & Ozias eandem ob causam lepra percussus 2. Paralip. 26. Sic in lege Evangelica, nemo nisi Sacerdos, potest in illo casu eujusqueque necessitate sacrificare. Unde falsum est quod dicunt Sectarii, nimirum Diaconos aliquando Eucharistiam consecrassè, maleque id probant ex Canone 15. Concilii Arelatensis, qui sic habet: *De Diaconibus, quos cognovimus multis in locis offerre, placuit minime fieri debere;* & ex cap. 2. Synodi Ancyranæ, ubi Diaconi qui immolaverant Idolis, jubentur cessare ab omni sacro ministerio, & speciatim sive à pane sive à calice offerendo. Nam prior locus debet intelligi de oblationibus fidelium distinctis à consecratione Eucharistiae, quae praesente Sacerdote non poterant ab alio benedici, temereque id praesumebatur à praedictis Diaconis. Posterior vero intelligendus est de oblatione quam facit Diaconus in missa solemni ministrans Sacerdoti; nam simul cum Sacerdote, utriusque modò, in calice offerebat; Sed nunquam purum Diceonum Eucharistiam consecrassè legimus. Unde Concilium Nicenum 1. can. 14. dicit Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Eucharistiae, sed Presbyteros.

Potest insuper probari conclusio, & Sectariorum error confutari, ex absurdo quod sequitur ex illorum sententia: Si enim potestas consecrandi Eucharistiam competeret omnibus Christianis, ratione characteris Baptismi, ut docet Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. de Ordine, competere etiam feminis baptizatis; & si Baptismus facit verè & proprie Sacerdotes, mulieres Christianae erunt verè & proprie Sacerdotes Evangelici: At hoc absurdissimum est, & Colly-

Tom. V.

ridianorum, ac Pepuzianorum error, apud quos mulieres olim sacrificandi munus usurpabant, ut videre est apud Augustinum lib. de haeresibus, haeresi 27. & apud Epiphanium haeresi 79. ubi contra Collyridianos disputans, affirmat solos Apostolos fuisse à Christo ordinatos ministros Eucharistiae, & deinde post Apostolos, alios Episcopos & Presbyteros: ceteris autem, & maxime feminis, adeo id non licere, aut licuisse unquam, ut ne Beata quidem Virgini concessum fuerit.

Nec valet quod ait Petrus Molinæus, nimirum feminas olim Eucharistiam administrasse, ut docet (inquit) Ambrosius in libro de Viduis. Nam, praeterquam quod hic non est quaestio de ministro Eucharistiam administrante, sed de ministro illam consecrante seu conficiente, falsum est quod Ambrosius eo libro id doceat, loquitur enim eo loco non de femina, sed de Sacerdote, cuius animam comparat Socru Petri Apostoli, languenti febribus, & à Christo sanata. Unde mira est Ministri hujus ineptia, & crassa ac supina hallucinatio. Apocryphum etiam & commentitium est, quod refertur in Prato Spirituali cap. 25. nimirum quod Monachus non Sacerdos protulit verba consecrationis super panem quem deferebat, & Angelus affirmavit verè consecrassè. Et si vera esset historia, responderi posset, extraordinarie & miraculose id factum esse.

Ad testimonia verò Scripturae supra adducta, quibus significari videtur, omnes Christianos esse Sacerdotes, dicendum est cum S. Thoma hic art. 1. ad 2. ea intelligenda esse de Sacerdotio latè & improprie sumpto, pro spirituali potestate & debito offerendi Deo sacrificium honorum operum. Unde D. Petrus ibidem immediate ante verba adducta, hortatur fideles ad deponendam omnem malitiam, & omnem dolum, simulationes, invidias, detractiones: ad amplectendam vitam innocentem, qualem decet filios Dei adoptivos, recens genitos in Christo ad ædificandam domum spirituales hostias honorum operum, quibus Deus colitur in spiritu, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Et paulo post eosdem obsecrat, ut abstineant se à carnalibus desideriis, quae militant adversus animam, & bene conversentur inter gentes &c. Hinc S. Thomas in 4. dist. 13. quaest. 1. art. 1. quaestione 1. ad 1. infert, quod omnis bonus homo dicitur esse Sacerdos mystice, quia scilicet mysticum sacrificium Deo offert scilicet hostiam viventem Deo, ad Roman. 12.

In eodem sensu intelligendus est Tertullianus, supra relatus, quando sic ait: *Nonne & laici Sacerdotes sumus?* &c. ut patet ex probatione quam subiungit: *Scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri fecit:* nimirum cap. 1. & 5. Apocalypsis, qui locus de spirituali Sacerdotio intelligendus est, ut indicant verba praecedentia loco posteriori citato, ubi non de sacrificiis proprie dictis, de quibus oblatione Eucharistiae sermo est, sed solum de oblatione orationum, & de phialis aureis, plebis odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum. Constat etiam ex eo quod idem Author, jus illud offerendi & sacerdotium de quo loquitur, fundat in fide, dicens: *Vnusquisque de sua fide vivit:* cum autem fides reperitur in mulieribus baptizatis, aequè ac in viris, sequeretur illas esse proprie Sacerdotes, & posse conficere Eucharistiam: quod à mente & doctrina Tertulliani prorsus alienum est, cum ille lib. de velandis Virginibus cap. 9. ipsi Sacerdotale officium convenire neget. Plura de hac difficultate, & praesertim de hoc Tertulliani

Qq

loco

loco, satis obscuro, videri possunt apud Gabrilem Albaspineum, Aurelianensem Episcopum, lib. 2. de Euchar. cap. 8. Dionysium Petavium in disertationibus Ecclesiasticis contra Salsamium, & Ylambertum, hic quaest. 82. disp. 1. art. 2. à quibus nonnulla mutuati sumus.

ARTICULUS II.

An ad solos Sacerdotes pertineat dispensatio huius sacramenti?

2. Dico primò, ad Sacerdotes ex officio spectat hoc sacramentum populo dispensare. Ita D. Thomas hic art. 3. ubi hanc conclusionem triplici ratione probat. Prima est, quia cui convenit actus principalis, convenit & accessorius: Atqui Sacerdoti per se & ex officio convenit confectio Eucharistiae, quae est principalis actus: Ergo eidem per se etiam & ex officio convenit ejus dispensatio. Unde idem S. Doctor in officio Corporis Christi quod de mandato Urbani IV. edidit, sic habet: *Cujus officium committitur voluit, solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent ceteris.*

10. Secunda est: Sacerdos constituitur medius inter Deum & populum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus, populo tradere. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 4. loquendo de Sacerdotibus ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quam rationem fufius expendit & magis illustrat in 4. sent. dist. 13. quaest. 1. art. 3. quaestione 1. ubi ait, quod sicut in corpore naturalis sunt quaedam membra principalia per quae virtutes & operationes vitae, à principio vitae ad cetera membra decurrunt: ita & in Ecclesia Sacerdotes sunt quasi membra principalia, quibus mediantibus Sacramenta vitae populo dispensari debent, & ideo laicis, quantumcumque sanctis, sicut nec consecratio, ita nec dispensatio huius sacramenti competit.

11. Tertia est, quia in reverentiam huius sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata: unde & corporale & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum: Ergo illi soli per se & ex officio competit illud tangere, & populo dispensare. Unde Tridentinum sess. 13. cap. 8. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: quos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

12. Dico secundò, non omnes Sacerdotes possunt hoc sacramentum licitè ministrare, sed solum illi qui habent potestatem jurisdictionis, vel ordinariam, vel delegatam.

Hæc etiam conclusio est omnino certa: ita enim generaliter de sacramentis habetur in Clementina Dudum, de sepulturis, & in particulari de isto in Concilio Carthagenensi 1. cap. 7. & Milevitano cap. 18. & Lateranensi cap. Omnis utriusque sexus. Ratio verò est, quia etsi administratio Eucharistiae non sit actus judicialis, sicut est poenitentiae administratio, est tamen proprius pastoris actus, & quidem magis, quam actus publicè docendi populum, cum sit actus pascendi gregem Christi spirituali pabulo carnis Domini: Ergo ad licitè administrandum hoc sacramentum potestas jurisdictionis vel ordinaria vel delegata requiritur. Unde Leo Papa Epistolâ Decretali ad Theodorum Episcopum Forojuliensem, relatâ in cap. Multis lex 49. de Poenitentia dist. 1. *Mediator Dei & hominum homo Christus, Jesus, hanc Præpositis Ecclesia*

A tradidit potestatem, ut & constituitur duntaxat Poenitentiae darent, & eosdem salubri jurisdictione purgatos, ad communionem sacramentorum perennem reconciliationis admitterent. Ex quibus manifestum est, potestatem hanc non potestatem esse peccatum mortale ministrare Eucharistiam sine debita jurisdictione aut facultate, quia est usurpare jus alienum in re gravi, & cum hominum marum periculo, per se loquendo, & cum poenitentem & debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiae. Porro jurisdictio ordinaria residet in superioribus quorum officio connexa est, ut in Summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro sua Diocesi, in Parocho pro sua Parochia. Extraordinaria verò seu delegata residet in illis quibus à superiore communicata est, ut illi per bullas Pontificias habent Religiosi mendicantes, unde licitè possunt in suis Ecclesiis Eucharistiam quovis anni tempore, praterquam in die Paschae & in articulo mortis, ministrare.

B Advertendum est autem, hoc inter administrationem sacramenti Poenitentiae & Eucharistiae periri discrimen, quòd pro administratione poenitentiae requiritur approbatio Ordinarii, non verò pro administranda Eucharistia, cum aliudque non sit eadem ratio: nam in Sacramento Poenitentiae requiritur scientia, quâ distinguantur peccata, requiritur etiam specialis potestas ministri, propter specialem familiaritatem dispensantibus: semel autem hostia consecrata, eam ministrare, has difficultates non habet: unde preceptum est, quod simplices Sacerdotes ad dispensationem non approbati, ex expressa vel tacita Pontificia licentia, Eucharistiam ministrant.

C Dico tertio, Diacono ex officio convenit legem Christi dispensare, non verò corpus, cum commisione tamen Sacerdotis, cujus est minister. S. Thomas hic art. 3. ad 1. ubi ait, quid Diaconus, quæsi propinquus ordini Sacerdotis, aliquando participat de ejus officio: ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero. Primo quidem, quia sanguis Christi continetur in vase, unde non oportet, quod tangatur à dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundo, quia sanguis designat redemptionem, & Christo in populum derivatam: unde & sanguis admiscetur aqua, quæ significat populum. Ex quo Diaconi sunt inter Sacerdotem & populum, magis convenit Diaconis dispensatio sanguinis, quam dispensatio corporis. Idem docet in 4. dist. 14. quaest. 1. art. 3. quaestione 2. ubi sic dicitur: *Sicut Sacerdos participat aliquid de virtute perfectiva, quæ est Episcopi; ita Diaconus participat aliquid de dispensatione huius sacramenti: competens enim ei ex officio sanguinem. Domini dispensatio, sed non corpus: quia dispensator corpore operatur, quod ipsum corpus tangat, non autem dispensatio sanguinis: Diacono autem non licet corpus Christi tangere, cum non habeat manus sacerdotis: & alius non debet corpus dispensare, nisi de mandato Presbyteri, vel Episcopi; vel Presbyteri, hanc potestatem in casu necessitatis. Vel ideo dispensatio sanguinem & non corpus, quia per sanguinem significatur redemptionis mysterium, quod à capite Christo in membra diffunditur officio ministrantem, unde & sanguini aqua quæ populum signat administratur: sed incarnatio quam corpus Christi significat, non est humano ministerio facta. Quibus rebus Sanctus Doctor conclusionem nostram & confirmavit & probavit. Potestque confirmari ex antiqua praxi Ecclesiae: antiquitus enim quando vigebar usus communionis sub utraque specie, dispensatio sanguinis pertinebat ad Diaconum.*